



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 28. Scripta Patriarchæ fidei professio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV
A.C. 1470

manu tua subscripserat. Historicorum nonnulli eundem die decima ejusdem mensis animam exhalasse referunt. Id tamen certum est, quod post solis occasum in cubile suum secesserit, ac conscriptis ultimæ voluntatis suæ tabulis, acutissimis doloribus correptus, vix emenso unius horæ spatio vitæ finem imposuerit. Hic Anno MCCCCXVI. decedente Euthymio in Patriarcham Constantinopolitanum electus est, unde Onuphrius hallucinatur, cum annum Domini millesimum quadringentesimum vigesimum quartum designat.

§. XXVIII.

Scripta Patriarchæ professio fidei.

*Acta Græca
Conc. Fior.
p. 494.
tom. 13.
Conc. Labbe.*

Cum repentinæ hujus mortis Fama universam urbem pervolaret, omnes Græcorum Prælati confestim ad Patriarchæ domum accurrunt, in ejusque cubili scripturam a se paulo ante confectam reperiunt, atque ultimum, quo sententiam suam declaravit, fidei monumentum publice perlegunt, hisce verbis conceptum: *Joseph miseratione divina Archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha: quoniam ad finem vitæ meæ perveni, soluturus jam commune debitum, Dei gratia scribo & subscribo sententiam*

tentiam meam aperte universitati Filiorum Sæcul. XV.
meorum. Omnia igitur, quæ sentit, & quæ A.C. 1439.
dogmatizat Catholica, & Apostolica Eccle-
sia Domini nostri Jesu Christi senioris Ro-
mæ, ipse quoque sentio, & iis me acquie-
scentem do, ac dico. Profiteor quoque Bea-
tissimum Patrem Patrum, & maximum Pon-
tificem, & Vicarium Domini nostri Jesu
Christi, antiquæ Romæ Papam ad certam
omnium fidem, necnon purgatorium anima-
rum: in horum quippe fidem scriptum est
die mensis Junii nona, millesimo quadringen-
tesimo trigesimo nono, indictione secunda.
Fuit autem summi Pontificis jussu cum
summo honore, & amplissima funeris
pompa terræ mandatus in templo Fra-
trum Dominicanorum, in quorum mona-
sterio vivus diversabatur. Græcorum Præ-
lati ritu suo, interveniente quoque Impe-
ratore, sacris operabantur, cunctis Car-
dinalibus, omnibusque Latinorum Epis-
copis has exequias præsentia sua hono-
rantibus. Andreas de S. Cruce epita-
phium tumulo ipsius versibus latinis ad-
scriptum refert, quod Maffeo illius ævi
Poetæ attribuitur, & in Actis Concilii
recensetur.

Conc. Flor.
part. II. pag.
1131.
apud Spond.
hoc an. n. 10.

§. XXIX.

Quæstio de pane azymo discussa.

Justis ita Patriarchæ persolutis actum est Conc. Gener.
cum Græcis de reliquis articulis an-
to. 13. p. 1141
tea & seq.

Ff 4

tea & seq.